



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von  
Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Lvdovicvs Pivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11835**

Ricolphum, tertium Archi-Episcopum Moguntinum, Caroli Magni Sacellanum intimumque Consiliarium fuisse, magnaque in regia aulâ potentia viguisse, Cratopolius, Bruschius, & Serarius testantur. è quibus colligi ni fallor, videtur Cancellarium eius extitisse. Nil tamen firmiter eâ de re affirmo, contentus Lectoris hæc examini exhibuisse, donec diplomata aliave documenta certiora nobis largiantur.

## LUDOVICVS PIVS.

Progredior ad Ludouicum Pium; sub quo primo loco Helisachar occurrit de quo Lanouius tabularium Sandionysianum Iacobi Dubletij aduocat. Extant autem apud Miræum quoque Ludouici diplomata, ab Elisachare recognita, *lib. 1. diplom. c. 9. & lib. 2. c. 7. & in notit. Eccles. c. 27.* omnia de anno 2. regim. Lud. qui est Christi 816. Vtitur hac formulâ in subscriptionibus:

Helisachar recognoui & notau. Huius nomine, apud Gevoldum *pag. 86.* Arnoldus recognouit, an. 3. Imperij Ludouici, & apud Goldast. *tom. 2. Constit. Imp.* Factus hic postea est Abbas S. Maximini Treuerensis, vt non præter rem coniectat Miræus, *ad c. 10. lib. 1. diplom.* deinde ad Tholosanam Cathedralam euectus creditur: hoc enim nomine eius loci Præsul reperitur, apud Aimoinum *l. 2. c. 19.* vt Lanouio obseruatum est. Meminit huius admodum honorificè Amalarius Fortunatus, Archi-Episcopus Treuerensis in Prologo Antiphonarij, cuius conficiendi illum adiutorem in versuum ordinatione habuit, vocatque inter priores Palatij primum. Locus is ita habet: *In versibus, quos penè mutatos reperiet, si fortè quis dignum duxerit præsens volumen frequentare, laborauit & sudauit Sacerdos Dei Elisagarus, apprime eruditus, & studiosissimus in diuino cultu, nec non & inter priores primus Palatij excellentissimi HLudouici Imperatoris, &c.* Freculphus Lexouienfis huic præceptoris suo partem priorem historiarum suarum inscripsit. Ad huius etiam vicem Durandum Diac-

num recognouisse, videre licet in diplomate Ludouici, anni regni eius 8 dato, quod ex Archiujs Narbonensis Ecclesiæ refert Pithœus *ad calcem vite Ludouici,* & ex illo Gold. *tom. 2. Const. Imp. pag. 9.*

Idem Durandus, etiam absque mentione vicariæ præstationis, recognouit Pij Imp. literas: qui enim apud Miræum *lib. 1. diplom. c. 10.* Danandus vocatur, sine dubio hic ipse est sub corrupto nomine. sed & vice Fridegisi recognouit, ad quem transeo.

Frigeisus, qui in tabulario Dionysiano Fridagissus scribitur, incerti Cœnobij Abbas, reperitur inter subscriptores Testamenti Carolini, vt ait La-

nouius. De hoc ita subscriptio Foundationis nouæ Corbeia ad Visurgim; de qua extat diploma Ludouici Pij apud Gerhard. Kleinsorgium. in *Chronico Westphaliae Ecclesiastico*: Durandus Diaconus ad vicem Fridagisi recognoui, Dat. IV. Kal. August. anno, Christo propitio, X Imperij D. Ludouici, &c. (Chr. 824.) in Gylenheim Palatio Regis. Ita etiam habent Literæ Ludouici, & Lotharij patris ac filij; quibus eidem Corbeienfi Cœnobio donant *Capellam* (alibi *Abbatia* vocatur, hodie *Præpositura* est) in Eresberg. (Statberg hodie vocamus, siue Marsberg, ad fluuium Dimelam, in Ducatu Westphaliæ: quo loco non alius celebrior est apud Annalium Francicorum Scriptores, in omnibus Saxonum oris) anno 13. Imp. Ludouici. (Chr. 827.) Extant apud eundem Kleinsorgium. Apud Auentinum, lib. 4, par subscriptio reperitur, eorundem Imperatorum subsignata literis. Literæ Ludouici, datæ anno Imperij eius octauo, Cœnobio Altaichij inferioris in Bauariâ, ita subscribuntur: Sigebertus ad vicem Fridegisi Abbatis. *Metrop Salisb. tom. 2. p. 11.* anno Imperij X. Simeon Diaconus & Cancellarius recognouit vice Fridegisi Archi-Capellani, apud *Gevvold. pag. 86. de septem-viratu.*

Sigebertus.

Simeon.

Theodo. Ab-  
ba. S. Mar-  
tini Turo-  
nensis.  
Meginar-  
rius.  
Hirmin-  
marus.

Thectonem suppeditat Miræus lib. 2. diplom. c. 9. & in not. Ecclesiar. c. 28. apud quem tamen Theodonem legendum esse, rectè monet Lanouius: ita enim nomen eius exprimitur in Dionys. tabulario. Apud Miræum an. 831, Meginarius vice eius subscribit: apud Dubletium Hirminmarus, vterque regius Notarius; (hodie Secretarios vocamus.) ac verisimile est, quod Lanouius coniectat, esse illum S. Martini Turonensis Abbatem, qui an. 834 in conflictu ciuili belli cecidit, vti Annalium à Pithæo editorum incertus auctor scribit. Hoc ipso tamen anno, Idibus Maij, idem Hirminmarus eius vice recognouit Ludouici literas, Hamburgensi Ecclesiæ concessas, apud Erpold. Lindenbrog. in *Scriptoribus rerum septemtrion. pag. 146.*

Druogo E-  
piscopus  
Metensis.

Apud eundem Annalium Scriptorem, ad annum 739. & in Annal. Fuldensib. Freheri ad an. 840. reperio Druogonem (is frater Ludouici fuit, licet materno genere, è concubinâ procreatus, impar) Archi-Capellanum: quem sine ambiguitate in hac Cancellariorum serie recensendum iudico; eò quòd certò constare putem, iam tunc illo æuo Archi-Cancellariorum & Archi-Capellanorum nomina pro Synonymis recepta fuisse, vt ex superioribus constare potest. Posterioribus certè temporibus, sub Othonibus & Henricis, apud Germanos nostros ita obseruatum est: in quibus, quod numerosissimis Cæsareis diplomatibus probari potest, ferè frequentius est in hoc, quem tan-

go, significatu, Archi-Capellanorum, quàm ipsorummet Archi-Cancellariorum memoria. Druogo iste factus est Metensis Episcopus, è Luxouienfi Monacho, an. 823. obiit an. 855; atque satis frequens eius in *Annalibus Francica* mentio occurrit.

Vulfarium Antistitem Rhemenfium, fide tabularij Dionysiani, *Vulfarius* & Roberti Reginaldi qui *de Gallicis Episcopis* scripsit, refert Lanouius; memi- *Archi-E-*  
nitque eiusdem Flodoardus, *Chronici Rhemensis* vetustissimus auctor, pag. 244. *piscopus*  
qui tamen Cancellariatus non facit mentionem. de quo nihilominus non *Rhemensis.*  
dubitat Coluenerius in *Catalogo Rhem. Archiep.* editioni Flodoardinae subie-  
cto: cui etiam Ioannes Chenu astipulatur. De Hilduino, de quo contra alios *Hilduinus*  
Lanouius dubitat, sub proximè subsequenti Imp. Ludouici filio videbimus: *Abbas.*  
quamuis dicto Lanouio in hoc non assentiar, quod ad Ludouici tempora  
non pertineat. Flodoardus enim modò dictus Presbyter & Abbas Rhemen-  
fis, Historicus vetus & verax, *lib. 3. Hist. in princip.* agens de Hincmaro Archi-  
Episcopo, disertis verbis Hilduinum Ludouici Imperatoris Archi-Capel-  
lanum vocat.

## LOTHARIUS IMP.

SUB tertio igitur è Francis Imperatore Lothario, haftenus non se prælen-  
tant alij Cancellariorum præter vnum Hilduinum prædictum, S. Dio- *Hilduinus*  
nyfij Abbatem, ac postmodum Virduensem Episcopum; cuius Arcopagi- *Abbas S.*  
tica, pro S. Dionysio ciue & Senatore Atheniensi, ac Parisiorum Episcopo, *Dionysij. E-*  
ad Ludouicum Pium scripta supersunt. Huius memoriam, quando de Archi- *piscopus Vi-*  
Cancellarijs agitur, inter alios Miræo debemus; qui dato in publicum inæsti- *rodunensis.*  
mabili veterum diplomatum Belgicorum thesauro, de antiquitate venerandâ  
eiusque studiosis, suprâ quàm dici aut credi possit, meritus est: cuius vtinam  
liberalitatem imitentur, quibus eiusdem generis cimelia, vel propria, vel a-  
liena, vel vtraque industria comparauit! Extat apud illum *lib. 1. Donat. cap. 6. &*  
*Not. Eccles. c. 32.* diploma Lotharij Imp. an. 844. datum; cuius hæc subscriptio  
est: Rudmundus Notarius, ad vicem Hilduini. Apud Ioan. à Bos- *Rudmun-*  
co, in Xysto læuo Bibliothecæ Floriacensis, *Hilduini* vocatur: vbi pag. 52. hu- *du.*  
ius vice Daniel Notarius recognouit. Mirum autem non est, hunc præ ceteris  
rerum summa à Lothario adhibitum fuisse, vtpote qui è præcipuis fuerit, *Daniel.*  
qui impias partes eius, Patrem oppugnantis, in ordinem cogentis, ac planè in  
custodiam conijcientis, secuti sunt. Videantur *Annales.* Archi-Cancellarij ti-  
tulum quod habuerit Hilduinus, etsi in præmissa subscriptione non memo-  
retur, aliunde tamen constat. Guilimannus enim in *Episcopis Argentinensi-*  
bus